CONCIO

AD

Clerum Londinenſem.

HABITA

Per JOSEPHUM RAWSON, A. M.

April. 27. 1708.

CONCIO

AD

Clerum Londinensem.

HABITA

Per JOSEPHUM RAWSON, A.M.

Apud S. [illegible]

BRITISH MUSEUM

CONCIO

AD

Clerum Londinenſem,

HABITA IN

Eccleſia Parochiali S. ALPHAGI, juxta Collegium Sionenſe, Londini, Menſis Apr. die 27. A. D. MDCCVIII.

Per JOSEPHUM RAWSON, A. M.

Non Ita pridèm è Senioribus Collegii Regalis apud CANTABRIGIENSES Sociis.

Rogatu eorum publici juris facta.

LONDINI,

Typis E. P. Impenſis verò GUL. HAWES, & THO. BAKER, ad inſigne Bibliorum ſacrorum & Roſæ, in *Ludgate-ſtreet*, juxta Cœmeterium D. Pauli, MDCCVIII.

CONCIO

AD

Clerum Londinensem,

HABITA IN

Ecclesia Parochiali S. ALPHAGI
juxta Collegium Sionense, Londini,
Martis 4to die Aprilis, A.D. MDCCVIII.

BRITISH MUSEUM

Per JOSEPHUM RAWSON, A.M.

Non-la prælum è Seminibus Collegii Regalis apud CANTABRIGIENSES sedis.

Regula eorum publici juris fuit.

LONDINI,

Typis R. P. Impensis vero Gul. Hawes, & Jno. Baker, ad insigne Bibliorum sacrorum & Mole, in Ludgate-Street, juxta Cœmeterium D. Pauli, MDCCVIII.

PROVERB. cap. 6. ver. 19.

Proferentem mendacia teſtem fallacem, & eum qui ſeminat inter fratres diſcordias.

EXordiamur à verſiculo decimo ſexto------ *Sex* (inquit *Solomon*, ſapientûm facilè Princeps) *ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima ejus: Oculos ſublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium ſanguinem, cor machinans cogitationes peſſimas, pedes veloces ad currendum in malum. Proferentem mendacia &c.*

Omne vitium Deo exoſum eſſe neceſſe eſt fateamur: hæc verò præ cæteris illi deteſtationi ſunt. Stupra, adulteria, & furta, & alia id genus nemo non condemnat: iſtiuſmodi crimina flagrantiora ſunt quàm quæ ſub Virtutum nominibus ſeſe venditent. Verùm ſuperiùs memorata, inſigni licèt & inveteratâ ſcateant malitiâ: iis tamen, pleriſque ſaltem, obnoxii (quod deflendum eſt) ſe inter peccantes habendos eſſe vix putant, aut levitèr tantùm peccantes: immò (quod

magis deplorandum eſt) eò vecordiæ eorum nonnulli proceſſerunt, ut dùm in his cum Deo bellum gerunt, ſe illi caros eſſe opinentur. Larvata quippe incedunt iſtiuſmodi vitia, aut in intimis præcordiis regnant, ſpeciem virtutis præ ſe ferentia: hinc autem fit, ut peccantibus ad hæc exempla ne in ſuſpicionem quidem veniant, nedùm odio digna aut pœnitentiâ conſeantur. Nihil tamen neceſſe eſt mihi dicere coram judicibus, quibus hæc ſunt exploratiſſima, quantorum maleficiorum inſtar habent; neque oratione opus eſt, ut vera eorum ſpecies turpitudinem ſuam veſtris animis objiciat. Liceat mihi, qui in me non ſuſcipio doctiores erudire, vobis in memoriam ſolummodò revocare,

1mo. Quam grave ſit falſi Teſtimonii peccatum, & quot malorum *Teſtis fallax proferens mendacia*, caput auctorque ſit;

2do. *Seminantem diſcordias inter fratres*, veſtros ante oculos ponere.

Priùs tamen, adnotem, concedite, inter *teſtem fallacem* & *ſeminantem diſcordias inter fratres* non multùm intereſſe; cum rarò cadat, ut alter ad alterum gradus non fiat. Sed & plurima licèt ſint incommoda, mox enumeranda, quæ à *fallaci Teſtimonio* oriuntur, *ſeminare* tamen *diſcordias inter*

fratres

fratres pro Maximo habendum est, & utrumque hic in pari *improbitatis fastigio constitutum est.*

Proinde quos jungit culpa, legimus & supplicio conjunctos. *Testis fallax non erit impunitus,* (quod interpretantur, non innocens habebitur) * inquit idem Salomon; *qui mendacia loquitur, non effugiet.* * *Prov.* 19. 5.

Non effugiet vindictam Divinam neque verò Humanam; cum non minus Deo quam hominibus invisus sit. Nec injuriâ, cum idem *pravo corde machinetur malum, & omni tempore jurgia seminet.* Proîde legimus venenum oris nostri capitis decimo quarto.

Quam grave verò sit *fallacis testimonii* peccatum ex eo constat,

1mo Quod sic in *ipsum Deum* peccatur, qui veritas est, & veritatis vindex, judex integerrimus, & judiciorum præses; adeò ut fallax quivis in judicio testis, quasi in os ipsi mentiatur, & divinum quoque tribunal contaminare sustineat.

Hic autem loci habemus *proferentem mendacia & testem fallacem* juxtà posita; non quod unum idemque sint; lingua enim *mendax* esse potest sine *fallaci testimonio*: neque dubium est, quin mentiri in testimonio perhibendo multò gravius sit malum, quam nullo alterius cum damno mentiri. Si *abominatio est* igitur *Domino labia mendacia* †, quamodio dignum credimus, cujus † *Prov.* 12. 22.

men-

mendacia non ſolùm veritatem temerant, ſed & fratribus pernicioſa ſentiuntur?

Ideóque 2^do, Peccati hujuſce magnitudo ex eo apparet, quod veritatem *fallax teſtis* ſuis mendaciis obſcurat, & luci tenebras inducit; atque adeò per eum ſtat, quo minùs judex, licèt æqui amantiſſimus, juſtè agat. Non aliter enim ille quam ex teſtium voce ferre poterit ſententiam; & eo ipſo nomine iniquus tamen audiet, & non levi exiſtimationis injuriâ afficietur.

Apparet etiam 3^tio, Et grave ſanè adverſus eos commiſſum eſt, quorum cauſæ nocetur, aut etiam nocitum itur: atque ipſius culpâ fit, quicquid homini damnato vel bonorum aufertur, vel ſuppliciorum irrogatur. Ecquodnam verò crimen ſit atrocius, quàm in mediis juſtitiæ præſidiis latrocinari, atque ipſius gladio, unde tutelam ſperaverant, innocentes obtruncare?

Peccat denique & in animam ſuam *fallax teſtis*; quæ luctuoſiſſima quidem, ſuo licèt ex merito, ſit paſſura; niſi, poſt ignominioſam apud homines notam, pœnitentiæ ope æternæ mortis diſcrimen evadere potuerit. Paupertati & dolori & acerrimis hujus vitæ ærumnis tandem finis imponetur; atque hoc calamitoſis vertitur ſolatio, quòd res iſtæ, quantumvis miſeræ, non ſunt tamen ſempiternæ. Aliter verò ſeſe habet in diris iſtis alterius vitæ, aut potius mortis, cruciatibus; *ubi*

ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur *. * Marc. 9. 44.

Sed hæc tetigisse sit satis: neque enim judiciarios istos testes sua fallere potest, vel noxa, vel pestis. Alios, ut & initio dixi, magis indicare volo, numero plures, maleficiis latiùs nocentes; qui sermonibus, qui scriptis invidiosè confictis, dum fratres onerant, vexant, ac dilacerant, *tergentes os suum dicunt,* † *non fumus operati malum.* Annon & hos igitur falsos testes meritò perhibemus? Quot isti verò, quamque gravium malorum, auctores sint, numero & magnitudine suâ vix potest definiri. † Prov. 30. 20.

Roget enim quis cum Apostolo Jacobo * *unde bella & lites in vobis? Nonne hinc?* A rumores serentibus, à delatoribus, & nefariis fratrum accusatoribus? Odia unde trahimus aperta seu recondita, & infamiam infamiâ pensatam? Unde rixas, certamina, & ipsas trucidationes? Annon sæpissimè à *pusillo illo membro* cujus mentio facta est superiori capite, *effræni, corpus totum maculante, & inflammato à Gehenna*; malo, *quod nullus hominum domare potest, inquieto, veneni pleno mortiferi?* * c. 4. v. 1.

Vestrûm nemo est, fratres, cui non hæc notissima sunt. Nullo die non videmus firmissima amicitiæ vincula per mendacem linguam sejuncta & dissoluta, ipsas urbes domusque inter se dissidentes. Per illam fit, ut † *Dividatur filius in Patrem* †Lu.12.53.

trem suum, mater in filiam, & filia in matrem suam, socrus in nurum suam, & nurus in socrum suam. Ab eodem *amaro fonte*, falsoque libellorum licenter editorum testimonio oriuntur in Republica suspiciones, malevolentiæ, dissensiones, & tantum non digladiationes; adeo ut, ni audaciæ isti tandem aliquo modo obviam eatur, quinam harum rerum futurus sit exitus, lugubre quidem dictu, sed non difficile tamen sit futurum. Nempe, quod omnium teterrimum est, pestis ista non ipsis jam parcit altaribus, sed in medias Ecclesias irrupit, non sine magno rei sacræ detrimento, & bonorum omnium offensione, & sacrilega malorum irrisione. Verum hæc in præsenti sistendum, nam istis in calce hujus concionis uberiorem locum prospicio.

Et jam ad 2^um^ Caput, & hunc quidem conjunctum, transeo; ut *Seminantem* illum *Discordias inter fratres* vobis coner ante oculos ponere; si quis tamen imaginem adeo deformem satis possit depingere. Quicquid enim tetrum est, quicquid inhonestum, turpe & infame, quicquid humano generi perniciosum, id omne fere complectitur verbum illud — *Seminans discordias inter fratres.* In istum enim nihil horum non videtur apprime quadraturum.

Homines pestilentes, inquit Salomon, * dissipant, aut inflammant Civitatem; atque sanè dici potuit aliquid accommodatius ingenio factisque lites, rixas & contentiones excitantis? *Vir impius*, inquit idem, *fodit malum, & in labiis ejus ignis ardescit. Homo perversus suscitat lites, & verbosus separat Principes.* Nimis sæpe fit, ut istiusmodi nebulones, qui homines clàm in suspicionem adducunt, & amicas aures calumniis assuefaciunt, non secùs noceant, ac ictus gladii; & tanto periculosiùs, quanto occultiùs. Aliorum dicta factaque in pessimam partem rapiunt, in ridiculum fratres vituperant, quæ pàlam aut aliis confecta sunt, exponunt, sive vera, quæ indicari non debuissent, referant. Et licèt Audiendum aures aperire delationibus, sed non facile facere; instar tamen venenorum maximè lethalium subtilissimè per meatus penetrant & post se relinquunt suspicionum aculeos, diffidium, odium, & intimis præcordiis invadunt. Et, ut quædam veneno aluntur animalia, ita hoc hominum genus aliorum malis invalescit & inter clades & exitia fœminarum. Ab his vidimus regna & respublicas concussa & everti, tumultibus omnia perturbare, ædibusque publici, & regiones florentissimas tantum non in desertum ejus mutasse. En, quid discordia civium

Perducit miseros

Dis-

* Prov. 29. 8.

† Prov. 16. 27, 28.

* Mat. 19. 6.

† Mat. 12. 25.

Discordiæ seminatoris est disjungere principem à suo populo, ut hic in illum & ille in hunc alieniore sit animo.

Ejusdem est maritum ab uxore, amicum ab amico divellere; si aurem ei præbuerint: nec quicquam adeò nefarium & scelestum est, ut id ille in se admittere dubitet.

Neque verò minima ei nequitiæ & turpitudinis inurenda est nota, quod simultatum inter fratres sator sit.

Spectate illius & scelus & impietatem, qui petulantiæ causâ *Acheronta movet*, & nihil intentatum relinquit, quo fratres à fratribus distrahantur. Facinus enim est omninò indignum, tetrum, & illiberale, fraternam gratiam corrumpere; seu natura, seu gente, sive affectu fratres sint.

* Mat. 19. 6. *Quos Deus & natura conjunxit, * homo non separet*: idque aggressurus, cum jussa Dei violet, manifestò divinæ sese iræ & pœnæ reddit obnoxium.

Quòd ad fratres ejusdem gentis, hi enim fratres etiam sunt, attinet; cum salus publica non alia ratione æquè conservetur ac pace ac animorum conjunctione [*Omne regnum divisum contra se desolabitur: & omnis civitas vel domus* † Mat. 12. 25. *divisa contra se non stabit*, verba sunt † *veritatis ipsius*:] inter eos seminare discordias ingens crimen

men

men est & frons Capitalis: multò enim levius est crimen civium domiciliis quam animis faces admovere.

Nec multò delictum minus est fratres affectu sive amicitia junctos à se invicem abalienare. Cum amicus sit pars suiipsius melior amico, & cum in *sacris scriptis ipsis* diserta audiamus verba, *Amicus, quem diligis ut animam tuam* *. Hos divellere est quædam membrorum dilaceratio cruciatus quo nullus est gravior. Et revera vix quisquam est quem hoc malum latet, (miserabile dictu!) cujus exempla usquam non occurrunt.

* Deut. 13. 6.

Hæc habui dicenda, Fratres Reverendi, de *proferente mendacia teste fallace, & de seminante discordias inter fratres*; & leviter unumquodque percutiri, dedita operâ brevitati studens. Sequitur jam, ut fusiùs de rebus à vobis minùs alienis verba faciam. Quæ enim hactenùs dicta sunt ad vos referre; nemo adeò malevolo in vos est animo, ut in eum ista suspicio incidat. *Inter* vos esse *fallaces testes* piaculum esset credere, *extra* vos non paucos esse luculenter (proh dolor!) compertum est. Hi sunt Tenebriones, scelerum instinctores, qui committunt noxas inter nos, invidendi cruciatus, & quantùm in ipsis est duas imparesque dimicantes, & interea ludibrio habentes. Illud mirandum esset maximè, quâ fide ea id audeant facere, nisi res ipsa indicaret, iis pudoris nihil su-

perelle. Ex hoc furfure hi ſunt, qui nova ſuarum factionum nomina nobis imponunt: hi ſunt qui nobis vitio dant eas ipſas contentiones, quarum ipſi conciatores extiterunt. Et veteratoriè & calumniosè nobiſcum agitur, cum ſibi perſuaſum habeant, ex omni illâ conviciorum colluvie nobis non nihil eſſe adhæſurum. Quid ſibi velint probè novimus, in animo habent ut diſſidio ſejungamur ac ſegregemur, ut domeſtica impedimento ſint mala, quò minùs eis univerſis viribus repugnemus. † *At illorum cogitationes † non ignoramus*, qui reverà neutri parti favent, (probis ſaltèm, quotquot in alterutrâ ſint) omnes pari odio habentes. Sed improbiſſimæ fuit ſpei tales viros fallere conari; atque adeo jam pateſcunt omnes technæ: & ſi nobis inter nos conveniat, (quod det Deus!) omnes eorum rationes facilè conturbabimus. Acrior fortaſſe videar nonnullis, & fraternæ caritatis omninò expers, ſi dicam illos qui nos tantâ oppugnant malitiâ, inter Chriſtianos vix habendos eſſe: at, conculcatâ Sacerdotum reverentiâ, credibile eſt religionem ipſam non diù manſurum.

† 2 Cor. 2. 11.

* *Si ipſum Patrem-familias Beelzebub vocaverunt, quantò magis domeſticos ejus?* Chriſti fuere verba; quæ experimur veriſſima. *At nobis ignominioſum non eſt pati quod paſſus eſt Chriſtus*, inquit D. Ambroſius; *nec illis glorioſum facere quod fecit Judas.* At non hanc vel illam partem clamoribus obrutam

* Matt. 10. 25.

vo-

volunt: è vobis nemo est: quem non odio prosequuntur. In præsenti quidem magno sibi Usui arbitrantur, si verbis subdolis adulando aliquibus, in hoc proficiant, ut inter nos, ipsis spectaculo fruentibus, exitiosè digladiemur. Huc ad unum tendunt totus *Atheorum* & *Socinianorum* grex & *Spinosæ* Catuli; Sacerdotium confictis criminibus tanquam telis venenatis insectantur; &, quod olim audivit Apostolus, crebrò, nimis audimus & nos; *Tolle de terra* homines *ejusmodi: non enim fas* Acts 22. 22.
est eos vivere. At nihil refert malè audire à malis. Utrùm enim fieri possit ut aliquis Christum amet, qui ejus Ministros & Legatos odio habeat, cedò quemvis arbitrum---- Non est nunc narrandi locus quot modis verba dent incautis---- Sed *crimine ab uno Discite*---- Ausi sunt enim dicere, Ecclesiam non aliud esse quam privatum hominum cætum; Sacerdotes, populi non Dei ministros; habere discriminatos illos atque populum, ullos rerum divinarum interpretes sanctis cerimoniis initiare, aut sacratos existimare velle, non nisi fraudem esse fallaciam & præstigias meras. En illorum in nos voluntatem!

Ex his, inquam, Fratres, de cæteris conjecturam facere potestis: neque è vobis quempiam fugere possunt argumentorum hæc monstra. Et tamen, (quod male me habet) in manu sunt omni populo; & quanto plausu fuerint omnibus in locis accepta, iteratæ ostendunt Editiones.

At

At idèo mihi Oratio: neque enim possum non
idem in improbitatem atque os hominis admi-
rari, simul & indignari. Itane contemnimur, ut,
qui ista dicat, dicat tamen, & eodem quidem in
libello, ubi probatos & caros nostri ordinis homi-
nes præter facinorosos aliquot, eorum se defensorem;
atque eos sibi fautores speret? Ità pari fere confi-
dentia piorum doctissimos & rerum peritissimos di-
cis ducere possimus, ac in rebus divinis simul &
humanis contumeliosè concerpendis quæque grassatur.
Neque tamen hæc quasi non diutius sentientibus
dico. Sed dolor meus facilè sibi moderatur, &
vetari mihi videor in re non atroci modò, verùm
& novâ, ac post redintegrata Ecclesiæ Reiq; publi-
cæ jura, nunc primùm audiâ. Liceat igitur &
nobis loquacissimorum hostium audaciâ aliquid audere, &
Maximorâ Piissimâque Principe cum præclarâ Opti-
morum copiâ frenis, novas leges, nova supplicia
novo sacrilegio minitari. Sic ad majorum tan-
dem redibimus modestiam, quod verè probis om-
nibus in votis est, Reipublicæ quoque causâ, *ne*
quid ea perniciosis hosce furores detrimenti capiat:
necesse est enim *hæc* fluctuet, ubi commota est
Religionis Ancora. Quid verò, si parendum sit
(neque verebor fateri) vixè quidquam in isto ge-
nere perfectius prodiisse quam quæ nuper? Quid
si eò callidè scribunt, ut non tantùm rudes &
indoctos fallere, sed attentis etiam & exercitatis
Lectoribus præstringere oculos nonnunquam pos-
sint?

sint? Non tamen est cur doctrinam aut acumen aut eloquentiam eorum reformidemus. Præstabit omninò Dominus noster, quod semel recepit, *Usque ad consummationem sæculi se suis affuturum.* Mat. 28. 20.

Et utinàm has tantùm calumnias jacularentur, aliæ autem sunt etiam, quibuscum nos impetunt. Licet enim *Episcopatus* sit nervus Ecclesiasticæ Politiæ primarius, sub cujus auspiciis floruit hæc Ecclesia, & usque floreat; hunc gradu & auctoritate disparem, *Presbyteratui* æqualem esse contendunt, & *Presbyteratum* omni de gradu dejiciunt. Ea est constantia inter se scriptorum gregis istius, & ea felicitas ratiocinandi!

Et hæc quidèm facillimè licèt à doctis refutari possint, videtur tamen necessarium, ut justâ verâque responsione nullo non in loco diluantur: quoniam fieri solet, ut, quæ nos meritò contemnimus, aliis magnoperè placeant; nullumque suorum scriptum sit tam insulsum & ineptum, quò non istius sectæ lectores mirificè delectentur.

Insolentissimè quidem nobiscum agitur: at vos fecistis; & si quid restat, efficietis propediem, ut apud omnes constet tandem, Veritatem Evangelicam non esse ab hostibus impunè lacessendam. Istis pergendum animis, & vestrum non sustinebunt impetum; & jamjam cunctantur magis quàm resistunt. Enimverò hæc tanta injuria impunè si abiisset, vestræque cessassent manus, indictâ causâ damnati vestræ famæ non optimè

consuluisseris. Controversia enim non de levibus minutisque rebus agitur; sed de ipsis aris, de rerum summâ jam disputandum est. Apertum enim & Ecclesiæ nostræ & Religioni ipsi bellum indicitur; cum his verò qui manus conferant victrices, spero cernoque, nunquam è vobis defuturos.

Et jam, Fratres Reverendi & *in Christo dilecti, liberavi animam meam*: Rerumque harum recordatio mihi necessitatem aliquam attulit plura, quam vellem, dicendi. Fatebor enim me semper ab hoc dicendi more penitùs abhorruisse, & minùs lubenter in hanc arenam descendisse. Quippe, malè loqui etiam malis peralienum est ingenio meo; nec ignarus sum, convitia, querelas, & clamores vehementiores non satis decorè in hoc loco exaudiri, sicut in *Solomonii Templi* extructione, quod Ecclesiæ Christianæ præmonstrabat exemplum, 3 *Reg.* 6. 7. ab omni malleorum strepitu silebatur. Cum verò de rebus maximi momenti agatur, permagni *Isa.* 56. 10. nostra interest, ut non simus *Canes muti*: & contra publicos hostes quivis jure militet. Neque ego putavi mearum esse partium in communi incendio spectatorem me eousque præbere otiosum, dum cuncta undequaque conflagrassent; sed potiùs circumspicere, si quid fortè aptum his flammis restinguendis adferre possem. Religione quoque fum adductus, ne tantam injuriam tantâ

cum

cum infamiâ conjunctam nobis orbique *Christiano* impositam non testarer simùl & detestarer. *Benè* verò *velle meretur veniam*; licet morbus sit gravior, quam ut à me, si multò peritior essem, sanari queat.

Liceat tamen hoc unum non imprudentes iterum iterumque admonere: nihil segnitiæ, nihil nequitiæ, studio partium nihil esse loci. Totis viribus adnitendum est, ut suus ordini nostro constet honos. Id verò fieri nequit, si vires istas torpore diffluere, si studio partium carpi, aut inter se committi, patiamur. Et illa profectò (si quid ego video) capitalis est & pœnè solitaria adversariorum spes. Illam vos destruite, illam improbitatis impudentiæque fraternam per animorum conspirationem, coarguite: & audactèr dico, *Triumphavimus.*

Simus nos igitur *sal terræ*, aliorum & nostras † Mat. 5.
sordes expurgemus, & nos ad purissimæ nostræ 13.
Ecclesiæ normam sic accommodemus, ut nullus supersit maledictorum locus, remittantque adversarii nos injuriis onerare. Ità enim res est; ut, nisi, quantùm possumus, contendamus, non perfunctoriè, non somniculosè; actum fuerit de nobis, causâque optimâ. Crescit in singulos dies hostium numerus, & *quoniam abundavit iniquitas, refrigescit Caritas multorum* *. Qui verò malorum omnium * Mat. 24.
fons est, clamant peccata & cœlum provocant, 12.
depravatis plurimorum ubique moribus; ita ut

illud

illud intonare mihi videatur---*Nunquid super his non † visitabo, dicit Dominus; & in gente tali non ulciscetur anima mea?* Apud non paucos enim Religio sublabi, & in pejus ruere videtur; ita ut, ni *Moses* aliquis se interponat, Deique iram avertat, nos, atque adeò populus, funditùs simus perituri.

† Isa. 5. 9.

Exorabit igitur vos, Viri Reverendi, & Fratres Honorandi, utilitas publica, exorabit Charitas Christiana; ut animos, consilia, cor a, adversus nostros ac pietatis ipsius hostes consocietis; ne dum *pugnamus singuli, vincamur universi.* Neque verò gravius quis commoveatur, aut me quasi aliquid vobis exprobrare ausum limis tueatur: procul absit ut à me expergefactæ sint istæ contentiones, quas ex animo in æternum sopitas velim. Latere istæ non possunt--- & utinam possent! Annon enim ab aliquot ordinis nostri, iisque qui se pœnè solos venditant Ecclesiæ nostræ *verè* studiosos, *apud exteros*, ad quos provocant scilicèt, accusamur, & pro *Schismaticis* infamamur? Sed hoc ipsum tantùm non extraneum est. Quid verò, quòd in *Synodis*, sanctissimis Christianæ reipublicæ conciliis, ipsas ante aras, non minimæ, ut levissimè dicam, se commovent altercationes? atque *hæc in angulo non sunt gesta* *, omnium volitant per ora. Sed ista timide--- Me non huic muneri satisfacturum putavi, nisi hæc scandala pro viribus amoliri essem conatus.

* Act. 26. 26.

Mul-

Multum habet quidem hæc palæstra in se difficultatis, nonnullum quoque offensarum meum; sed coram viris verba facio, quorum non est in amicos monitores insurgere, nihil aliud quam pacis conciliationem spectantes. *Beatus autem ille erit pacificus* (exurgat utinam idoneus bono cum Deo!) qui poterit Christianam refarcire gratiam, & amore redintegrato, medicam manum vulneribus adhibere. *Quod si invicem mordetis, & comedetis, vide ne ab invicem consumamini* * inquit D. Paulus. *Hoc Ithacus velit* — nobis qui parùm favent, quod experiunt, sunt habituri: quos vestra, præoptabitis ut concordia. * Gal. 5. 14.

Ne vobis sim tædio — † *Ut prudentibus loquor, vos ipsi judicate quod dico.* † 1 Cor. 10. 15.

Nulli vestrùm non notum est cujus illa sunt. *In hoc cognoscent omnes,* * *quia discipuli mei estis si dilectionem habueritis ad invicem.* Hic est perpetuus Evangelii tenor, hoc est proprium Christianæ Religionis insigne. * John 13. 35.

Nos sumus *ardentes lucernæ*; & consentaneum est, ut omnimodæ sanctitatis & benevolentiæ specimina fratribus nos exhibeamus.

Ut verò unanimi consensione rem nostram tueamur, non illius modò, non officii, atque existimationis causâ, necessarium est; sed & ipsam propter patriam, ipsamque propter indulgentissimam *ejus Parentem*: nam id *Illa* suspirat voveturque, ad id universos exhortatur; cui consimilis ipsius

prudentia ac felicitas argumento illustri simul & exemplo sint. Atque in hoc ego me magnopere confirmo, atq; sub hujus auspiciis factum iri spero; ut dilectis omnibus, si qua superstint, æternùm compositis, Ecclesiæ pax ad sera usque sæcula cum nepotum felicitate prorogetur.

Quicquid enim oggannunt, qui quæ optant pro veris ingerunt, *Regina* favet nobis; favebitque, dum pergimus omni studio affectus illos animumque in nos maternum promereri. Haud clam me est, alios aliter se sentire credi velle; at nos non fugit, plura in nos beneficia ab hac unâ collata, quam Majorum vel beneficentissimis. Præterea consuetudinem si acciderit aliquid (quod avertat Deus!) id omne iniquis hinc & pravis suspicionibus acceptum referre summus debituri. Id verò ne fiat, ne, credo, occurri poterit, favente numine; si non modò nostrum obsequium dignamque tali Principe pietatem præstemus; sed &, omnes curæ nostræ commissi non aliter animati ut sint, summa ope contendamus. Longe verò æquæ, & media luce cæcutit, si quis amorem odio, & benevolentiam malignitate conciliandam aut tuendam esse speraverit.

Denique ne multus sim. Nullo factionum telo abrepti liberis animis *Cognoscamus*, & *quidem in hac die nostra quæ ad pacem nostram pertinent.*

Quodque adeò calumnioſum est, quod maledam inuræ fratri, quod petulans audiat, quod

à Pace abducat, id omne execremur, deteſtemur, abominemur. *Fratres ſumus*, & ab omni inter fratres diſcordiâ natura etiam ipſa abhorret: affectibus verò naturalibus carere inhumanum eſt. Ità noſmet moderemur, ut calamitates *Hieroſolymæ*, ſi quæ inciderint, levemus ac mitigemus; & interrupta *Sionis* mœnia reficiamus potiùs, quam mutuis diſcordiis ſolo certatim æquemus. Eâ ſimus morum probitate honeſtate & ſuavitate, *Ut pro eo quod detrahant de nobis tanquam de malefactoribus, in bonis operibus nos conſiderantes, glorificent Deum in die viſitationis.* 1 Pet. 2. 12.

Ego verò, Dilectiſſimi Fratres, ægrè a me impetravi; ut in ornatiſſimâ hac Doctorum coronâ perorarem, & tenues labores hoſce meos coram *iis* exponerem, à *quibus* æquius foret ipſe diſcerem, quam ullo docendi ſeu ſuadendi munere fungi ſuſtinerem. Inter vos enim latere potiùs malim, quam eminere. Modeſtiæ quidem noſtræ non eſt vobis præſcribere; ut verò vos moneam, rogem, aut appellem; nullâ verecundiæ lege vetitum unquam fuit. Et cum more *Apoſtoli* omnia *verborum lenocinia* ex profeſſo abdicaverim, à Reverendo hoc cœtu hæc candidè accipiantur oro, quæ amicitiæ ergô in me ſuſcepi. Et non verba ſpectentur, ſed res: coram enim adeò doctis & exercitatis Theologis Rhetorem agere, nec vobis, nec me dignum judicavi.

Sed

Sed in rebus ipsis, si quid (quod facile credo) turbarum fuerit; hoc me vehementer consolatur, quod dextris ingeniis & rerum optimarum meditatione lubactis nulla fere cogitandi ansa sese offerat infructuosa. Ita fiat, ut, quæ ego mutilata, quæ nimia, quæ male congruentia protulerim; vos vestros apud animos aptetis, recidatis, explicatis; & ad omnium utilitatem, ità faxit Deus, solertissimè convertatis. Faxit, inquam, Ille; qui quod restat, precor Bonorum omnium largitor, *Deus patientiæ & solatii*, vos habeat commendatissimos, per & propter *Jesum Christum*, quibus cum *Spiritu Sancto* in æternum tribuatur omnis honos & gloria. *Amen.*

FINIS